



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente  
XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

L. Decreta declarantia Constitutiones Congregationis Missionis, &  
excommunicatio contra ambientes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

1704.  
pro execu-  
tione alter-  
nativæ.

exacte cernantur, desideratque perpetuæ Provincia tranquillitatis finis consequatur, præcipimus, quod omnia in hisce nostris Apostolicis Literis de unanimi totius Provincia consensu disposita, in Libro Provincia, & in alio ad hoc specialiter determinando adnotentur, ac in eo sub fide Secretarii Provincia numerentur, & describantur omnes unius, alteriusque filiationis fratres, tam ex jure de præsentibus assignatis, quam in futurum assignandis sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, cui irremissibiliter subjacebunt singuli, qui prædictarum filiationum subscribi noluerint; quia vero aliqui de præsentibus reperiuntur, qui, vel propter absentiam, vel propter professionem tempore prius a Nobis præscripto non emissam, vel propter aliam rationabilem causam neutri ex dictis filiationibus addicti sunt, ut omnis in posterum fraudulentæ occasio evitetur, mandamus, quod omnes, & singuli Religiosi Professi cujuscumque gradus, & conditionis existant, qui usquemodo non sunt quovis titulo adscripti filiationem eligant, & in præfato Libro ad hoc specialiter destinando intra tempus duorum mensium a præsentium publicatione, & qui in posterum Professionem emittent, intra idem tempus a die Professionis computandum adscribantur sub pœnis in nostro primo Decreto jam taxatis ipso facto irremissibiliter incurrendis, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Ordinis, & Provincia statutis, & consuetudinibus, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. In quorum fidem præsentibus manu nostra firmatas fieri, & subscribi, sigillique nostri jussimus impressione muniri. Datum Ulyssipone in Palatio nostræ solitæ Residentiæ hac die 30. Mensis Junii anno 1703. Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Papæ XI. anno tertio. -- Loco † Sigilli. Franciscus Ignacius de Ferrantibus Secretarius, registratus libr. 3. fol. 17. Joannes Dominicus de Honoratis Registrator -- Michael Angelus Archiepiscopus Tarfen.

Præces Regis Lusitanie pro confirmatione præf. Statutorum.

Confirmati alternativæ, & relatarum Nuncii.

Clausula.

§. 11. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, quo firmiora sint, & serventur exactius illa, quæ Apostolici muniminis præsidio roborantur, Nobis propterea memorati Petri Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 12. Nos igitur piis ejusdem Petri Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, alternativam hujusmodi a prædicto Michaelangelo Archiepiscopo, & Nuncio factam, ut præfertur expeditaque desuper illius patentes Literas præfertas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplementis.

§. 13. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obrinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 14. Non obstantibus præmissis, ac Consti-

tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis, & Provincia, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitatis alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die XIX. Aprilis MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Confirmantur quædam Decreta Conventus Generalis Congregationis Missionis declarantia Constitutiones, cum extensione excommunicationis latæ sententiæ contra ambientes Præfecturas.

Lata fuit præd. excommunicatio a Clem. X. Constit. ed. 1670. Jun. 11. Hujus Pontificis Const. ed. 1703. Jul. 9. P. 3. agitur de jure præsidendi Conventui Gen. Et Const. ed. 1707. Apr. 2. P. 7. de præfensa divisione contra Constitutiones.

### C L E M E N S P A P A X I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiæ Regimini per abundantiam Divinæ Bonitatis, nullo licet meritum nostrorum suffragio præpositi illa, quæ pro felici Congregationum personarum Ecclesiasticarum in Ecclesia Dei pie, sancteque institutarum, ac uberes honorum operum fructus, aspirante superni favoris auxilio proferre jurgiter satagentium gubernio, & progressu provide sapienterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis præsidio libenter constabimus.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus Fil. Franciscus Warel Superior Generalis Congregationis Missionis, quod pro felici dictæ Congregationis, ejusque Presbyterorum Regimine, & directione in Conventu generali ipsius Congregationis, qui Mense Augusto 1703. Parisiis celebratus est, inter alia, nonnulla Decreta, per quæ quædam puncta Constitutionum Congregationis hujusmodi auctoritate Apostolica confirmatarum clarius declarantur, & super quibus aliqua dubietas exoriri poterat, edita fuerunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 2. Decreta Conventus Generalis Congregationis Missionis Mense Augusto 1703. Parisiis habiti, quæ Franciscus Warel Superior Generalis in eo electus, & Presbyteri ejusdem Congregationis Sedi Apostolicæ confirmanda supplices exponunt tenoris, qui sequitur.

Primo. Quæsitum est, in quo residere debeat potestas regendi Congregationem quo tempore Superior Generalis non potest per gravissimam, ac diuturnam infirmitatem, & per defectum judicii eam administrare usquedum Vicarius eligatur. Responsumque hanc potestatem concedi a Conventu hoc generali primo Assistenti, vel Secundo, si Primus non posset cum limitationibus, quæ Vicario generali præscribuntur in Constitutionibus, hujusque Decreti confirmationem a Summo Pontifice postulandam. Ut autem judicetur, an Superior Generalis eo in statu infirmitatis verferetur, qui

L.

Dat. 9. Sept. 1704. An. 4.

Exordium.

In sequentibus Decretis declarantur quædam capita ad tollenda suborbita dubia.

Decreta prædicta Conventus Gen. 1703.

De casu quo Superior Generalis inhabilis evadat ad regimen.

illum

illum præstet omnino inidoneum Congregationis Regimini, censuit Conventus de eo statu ab Assistentibus, a Visitatore Provincia, a Superioribus quinque viciniorum Domorum, a Secretario, & Congregationis Procuratore, ab Assistente Domus, si non sit ex Assistentibus Congregationis, & a sex Sacerdotibus Domus, illique ratione vocationis antiquioribus, in qua commoratur Superior Generalis, ac plura medietate suffragia, eaque publica judicandum, cui quidem deliberationi non intererit Primus Assistens, vel is, cui committenda esset prædicta potestas, & cui præerit Assistens electione antiquior.

Secundo. Proposita hæc quæstio est. Utrum Vicarius Generalis possit eligi a Conventu Deputatorum juxta ea, quæ habentur Constitutionum Cap. 2. §. 3., cujus quæstionis proponenda hæc ratio fuit, quod a multis uni tantum Conventui Generali Vicarium Generalem eligendi potestatem in selectis a S. Sede approbatis crederetur. Diciturque suffragiorum pluralitate debere a Summo Pontifice postulari a Congregatione, ut omnis circa illud negotium, vel minimus tollatur scrupulus Conventui Deputatorum, sive etiam sexcenniali, si quando necessitas eligendi Vicarium occurreret ejusdem electionis faciendæ jus, & potestatem competere.

Tertio. Quæstum est quid sentiendum judicet Conventus de casu sequenti, qui raro quidem potest accidere, si Superior Generalis in eo statu infirmitatis positus, Vicarium Generalem nominare deberet, ac nollet, aut non posset, & tunc Conventus Vicarium eligeret. Quæritur utrum hoc ipso Superiore mortuo capsula, in qua nomen Vicarii recluditur aperiri tunc deberet, & qui electus esset a Conventu, Vicario Generali nominato a Superiore Generali cederet locum, & curam, seu Regimen Congregationis. Responsumque super ea re ad eundem Sanctam Sedem, ut nominatio, seu electio Vicarii Generalis a Conventu facta in prædicto casu firmam esse, & validam usque ad electionem novi Superioris Generalis declararetur. Tuncque capsula non aperiretur, nisi ut extracta ex illa Scheda comburatur.

Quarto. Petitum fuit num deberet quoque ab eadem Sancta Sede pro Assistente ad regimen Congregationis evocato in casu, qui superius exprimitur facultas peti eandem nostram Congregationem regendi, Conventum etiam generalem tempore a Constitutionibus præscripto convocandi, ac in eo usque ad Vicarii Generalis electionem præsidendi. Et hoc quoque postulandum esse Conventus statuit.

Quinto. Quæstum deinde est, num oportet postulare a S. Sede pro Vicario Generali, seu nominato a D. Superiore Generali, sive etiam in Conventu electo, ut superius dictum est, ac pro Assistente, qui usque ad electionem Vicarii Generalis Congregationem administraret, dispensandi in actu dimissionis cum aliquibus de nostris de suis votis facultatem, cum evenire aliquando possit, ut propter magni momenti rationes, vel dimitti, vel expelli a Congregatione tunc temporis debeant, eam selectæ facultatem uni Superiori Generali tribuere videantur. Responsumque eam licentiam a S. Sede esse postulandam.

Ad instantem Italia, Poloniaque Provinciarum postulationem nos omnes congregati una voce, & unanimi consensu declaramus, quod novo modo in hac proxime futura Superioris Generalis electione, quam propter dimissionem a R. Admodum D. Nicolao Pierron ab Officio Generalatus factam, & a Conventu admittam intra paucos dies fieri oportere statuit, verum quoque in futuris quibuslibet electionibus neminem a Sacerdotibus nostris, qui duodecim annos

post emissa vota in Congregatione transferunt cujusvis tandem sit Nationis, & Patriæ, dummodo nullo canonico impedimento irretiat, tam ab ipso Generalatu, quam a quovis alio Officio quavis ratione, & non aliis utendo regulis, quam quæ a Sacris Canonibus, & nostris præscribuntur in Constitutionibus esse, vel fore excludendum, cum quilibet ex prædictis Sacerdotibus libere, & cum effectu ad prædicta Officia eligi possit, & valeat, hancque esse Constitutionum nostrarum variis a S. Sede approbatarum, & usque in hanc diem emanatis sanctionibus, & Brevibus ad electionem spectantibus mentem, ac intentionem Conventus Generalis agnosci, quas illibate observari statuimus.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat prædictus Franciscus Superior Generalis Decreta hujusmodi, quo firmiter subsistant, & ferventur exactius Apostolica confirmationis nostræ patrocinio communiti, ac alias opportune in præmissis a nobis provideri plurimum desideret: Nos ipsius Francisci Superioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnia, & singula Decreta præinserta, in eisque contenta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenierint, seu intervenisse dici, censei, vel prætendunt possent, supplemus, & sanamus. Præterea excommunicationis lætæ sententiæ pœnam per quasdam felic. rec. Clementis Papæ X. Prædecessoris nostri desuper in simili forma Brevis die 11. Junii 1670. expeditas Literas contra ambientes Generalatum laram ab obitu Superioris Generalis incurrendam, a die convocationis Conventus ad electionem Superioris, vel Vicarii Generalis indicti, etiam quando Conventus hujusmodi vivente adhuc Superiore Generali juxta præscriptum Constitutionum præfatarum celebrari debet, auctoritate & tenore prædictis extendimus, & ampliamus.

§. 4. Decernentes easdem præsentis literas, ac Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Congregationis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro ple-

De electione  
Vicarii Ge-  
neralis.De casu, quo  
duo existant  
Vicarius Ge-  
ner. electus  
felicitet, &  
nominatus.De Assistente  
Gen. ad re-  
gimen avo-  
cato.De facultate  
dispensandi  
suffragia.De eligendis  
ad Genera-  
tum, & alia  
Officia Con-  
gregationis.Preces Super-  
ioris Gener.Confirmatio  
relatorum  
Decretorum,  
cum excom-  
municatio-  
næ sententi-  
æ contra  
ambientes  
Generalatum  
vel Vicaria-  
tum Genera-  
lem.

Clausula.

ne, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut eorundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Sept. MDCCIV. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LL. Deputantur Abbas Gen. Visitatores, & Definitorum Congregationis Monachorum Vallis-Umbrosæ, cum Statuto spectante ad Visitacionem Monasteriorum Majoris Observantiæ.

Constitutiones hujus Congregationis extant Const. ed. 1604. Mar. 15. P. 4. ubi agitur de Majori Observantiæ. Et Const. ed. 1713. Sep. 28. P. 13. conceduntur Congregationi plurima privilegia.

Dat. 11. Dec. 1704. An. 5.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ præsentis Constitutionis.

PROspero, sælicique Congregationis Vallis-Umbrosæ Monachorum Ordinis S. Benedicti regimine, & gubernio, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac de infrascriptorum ejusdem Congregationis Monachorum expresse professorum fide, prudentia, charitate, integritate, vigilantia, solertia, & Religionis zelo plurimum in Domino confisi, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine dilectos filios Gregorium Bartoli in Abbatem Generalem, ac Silvanum Caranzi, Columbinum Bassi, Laurentium Poltri, Virgilium Falugi, Angelum Mariam Serafini, Mercurialem Prati, Innocentium Rosetti, & Joannem Aurelium Casati in Definitorum, ac Ricciardum Betti, & Joannem Jacobum Caleppi Congregationis prædictæ Monachos expresse professos in Visitatores respectivè ejusdem Congregationis non modo usque ad Dominicam tertiam post Pascha Resurrectionis Dominicæ proxime venturam, qua Capitulum Generale ipsius Congregationis convocari solet, sed etiam inde ulterius ad tempus solitum, quo ejusmodi officia juxta Regularia memoratæ Congregationis Instituta per Sedem Apostolicam confirmata durare consueverunt, cum omnibus, & singulis prærogativis, præminentibus, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & Indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis tenore præsentium constituimus, & deputamus.

Deputatio Generalis Visitatorum & Definitorum ac extensio officiorum ultra solitum tempus.

Mandatum pro executione d. Deputacionis.

§. 1. Mandantes propterea in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis omnibus, & singulis supradictæ Congregationis Superioribus Monachis, & personis, cæterisque ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut supranominatos Monachos ad officia eis respectivè per præ-

sententes demandata, illorumque liberum exercitium juxta eorundem tenorem præsentium recipiant, & admittant, illosque recognoscant, & illis omnibus, quæ ad officia hujusmodi pertinent, faveant, & assistant, pareantque, & obediant respectivè. Præterea auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus Abbas Generalis pro tempore existens memoratæ Congregationis occasione Visitationis Monasteriorum majoris observantiæ, & exactioris vitæ Communis ejusdem Congregationis pro eadem Visitatione, & examine præter duos Visitatores, & Secretarium etiam Abbatem pro tempore existentem Monasterii S. Mariæ ejusdem Vallis Umbrosæ, sive S. Joannis Gualberti de Valle Benedictæ alternatim una cum Priore alterutrius Monasteriorum hujusmodi adhibere, iique peracta Visitatione prædicta fidelem, & sinceram relationem proprio charactere subscriptam circa eandem vitam communem, ejusque progressum ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curie Prælatorum super disciplina Regulari specialiter deputatorum sub pœnis itidem arbitrio nostro infligendis quanto citius transmittere teneantur.

Statutum de ratione visitationis Monasteriorum, & relatione transmittenda ad Congregationem super Disciplina Reg.

§. 2. Decernentes easdem præsentis literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Monachis supra nominatis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Vallis Umbrosæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Decembr. MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quinto.

Declaratur, jus visitandi Parochiales Ecclesias Regularium in Insulis Philippinis competere Locorum Ordinariis.

LII.

De Confessariis Regularibus ab Ordinario approbandis extat Inn. XII. Const. ed. 1698. Sep. 6. P. 8. Et Inn. XIII. Const. ed. 1722. Aug. 26. P. 2. agitur de ingressu Parochorum in Ecclesias Regularium.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM sicut Venerabilis Frater modernus Archiepiscopus Manilan. Nobis nuper exponi fecit, dilecti filii Fratres Ordinum Prædicatorum, Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac Eremitarum Sancti Augu-

Dat. 30. Jan. 1705. An. 5.

Lis inter Religiosos, & Ordinarios ad Insularum de Visitatione Ecclesiarum Parochialium.

stini,